



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

Fouillon, Jean E.

Leodii, 1657

IV. E sacris literis ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

disposita dici debent , si Deum attendamus. Prudens Imperator , occupando hostili præsidio, copias ex hibernis deducit. Aliæ alio itinere progredi jubentur, consilii prorsùs insciæ, nec de aliarum profectione commonefactæ. Conveniunt tamen omnes in locum eundem tempore eodem. Fortè id fieri à militibus dicatur, cùm inter se non condixerint : fortè tamen non fit , quod ex præmeditato Imperatoris consilio profectum est. Herus famulos duos , alterum alterius ignarum, mittit ad varia negotia, ob quæ inter se debent occurrere. Occursus iste famulis quidem fortuitus videatur : at non hero, qui sic profectiones illorum disposuit, ut ita eveniret. Euindem ferè in modum se res habet, in iis, quos casus, eventusque, ac fortuitas caussarum hominumve conjunctiones & concursus vocamus.

IV.
*E sacrī li-
teris osten-
ditur.*

Genesis cap.15. Eliezer ab Abrahamo mittitur in Mesopotamiam Syriæ. Rebecca, quæ de illo ne per somnium quidem audierat, in ipso tempore venit ad fontem : placet:
Isaaco

Isaaco sponsa petitur. Quis ista fortuitò
agi non existimet, si humana spectes?
At Deus inexpectatos illos occursus ad
fines suos suaviter moderabatur. Ita im-
provisa fuit Jacobi & Rachelis obviatio
ad puteum: destinata tamen divino con-
silio. Josepho in cisternam veterem
abdicto, forte transierunt Madianitæ mer-
catores: quod forte ab illis fiebat, à DEO
ad miros eventus disponebatur. Mosen
in fiscella fluitante in aliud agens filia Pha-
raonis vidit, amavit, educavit: sed hoc
ipsum agebat DEVS per insciam Princi-
pem. Incidit Moses commodè, cùm
Madianitides virgines adversus pastores
defendendæ erant: ita DEUS isthæc con-
temperârat, ut per istam occasionem san-
ctus vir sacerum sanctum nanciseretur.
Mittitur à patre Saül ad quærendas as-
inas, & regnum reperit. Pugnante Acha-
bo, 4. Reg. 22. & 2. Paral. 18. accidit,
ut unus è populo sagittam in incertum jace-
ret: sed eam ad scopum suum dirigebat
Dei Providentia. Non casu Danielis
sapientia Regibus Babylonicis innotuit:

non

46 BONA VOLUNTAS

non casu Hestheris pulcritudo Assuēto
placuit: non casu facies Nehemiae Ar-
taxerxi subtristis visa est: non casu hirun-
dines nidulabantur, ubi obdormiit To-
bias: non casu junior Tobias pedes lavi
in Tigri, & pisces exhorruit: non casu
Jonam ventus & cetus excepere.

v.

*Ex historiis
Ecclesiasti-
cis.*

Fortè Ravennam venerat Vita-
lis miles, cum Paullino judice
Ibi comprehensum Christiana
religionis caussa Ursicinum medicum, in-
ter tormenta paullulùm vacillantem con-
spicatus: Tuverò, inquit, medice Ursici-
ne, qui alios curas, cave temet eneces.
Exceptæ ab adstantibus voces Christianum
prodidêre, & Martyri comitem ad-
didêre. Fortè id factum dicimus: factum
tamen ex alto divinè mentis consilio, Mar-
tyrem sibi tam fortuita occasione præpa-
rantis. Captivi quidam in carceres eos-
dem, quos Apostoli, detruduntur, aliis
omnino de caassis: illi ob crimina, isti ob
virtutem. Quid magis improvisum homi-
nibus? Quid magis Deo provisum, qui
sic libertati filiorum suorum, per Aposto-
lorum